

**De pathologia ulceris chronici ventriculi : dissertatio inauguralis medica
quam consensu et auctoritate gratiosissimi medicorum ordinis in
Academia Christiana Albertina / scripsit Fridericus Guilielmus Schlaikier.**

Contributors

Schlaikier, Fridericus Gulielmus.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Kiliae : C.F. Mohr, 1854.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jxwwph5w>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D E

PATHOLOGIA ULCERIS CHRONICI

VENTRICULI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

SCRIPSIT

FRIDERICUS GUILIELMUS SCHLAIKIER

EGENSUNDENSIS.



KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1854.

1854. H.

MEDIC. VI.

D E

PATHOLOGIA ULCERIS CHRONICI

VENTRICULI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA CHRISTIANA ALBERTINA

SCRIPTA

FRIDERICUS GUILLELMUS SCHLAIKER

KEESBUNDENSIS.



Imprimatur.

KILIAE.

C. C. Th. Litzmann,

EX OFFICINA C. F. MOHR

h. t. Dec.

1854.

Hoc vocabulo substantiae detrimentum in aliqua ventriculi parietum parte ortum significamus, quod orbiculatum et a finitimis partibus integris secretum lente ab interiore regione foras progreditur, dum sanatio aut perforatio exoritur. Hujus postremi eventus frequentia factum est, ut ulcus ventriculi perforans appellaretur. Margines leves sunt velut instrumento quodam acuto resecti, partes finitimae nullum inflammationis obversantis aut praeteritae indicium exhibent. Qua de causa „ulcus“ mihi non apte dici videtur, quia ulcus inflammationem requirere opinio usitata est.

Quam diu tamen vera morbi natura certis finibus circumscripta non erit, nihil erit, cur nomen inveteratum recuses, modo memoria teneas, inflammationis indicia deficere. Praestantissimi enim anatomici pathologici inter se consentiunt, finitimas hujus substantiae detrimenti partes, quoad detrimentum stratum peritoneale nondum corripuerit, eandem speciem ubique obtinere. In ulcere autem quolibet alio tela cellulosa adjacens sanguine aut sanguinis plasmate infiltrata et indurata invenitur. In ulceribus vulgaribus, quae lente progrediuntur, vasa quoque, quae ulceris superficiem percurrunt, solent priusquam erodantur, sanguinis coagulatione obliterari, ut raro sanguinis effusio sine laesione mechanica eveniat. Hoc in ventriculi ulcere non accidere videtur, quare quum vasis paries erodatur saepe sanguinis effusio tam larga oritur. Quae res altera est hujus morbi propria, qua periculum admodum augetur. Forsitan opponas motus ventriculi, quales in prima concoctionis periodo oriri soleant, posse mechanicam laesionem talem facile adducere, quae vas denudatum dirumpere valeat. Attamen experientia demonstratur, sanguinis effusiones in ventriculi ulcere orientes tam frequenter, antequam cibus consumatur, quam postea incidere et in casibus nonnullis, quum mors effusione adduceretur, vas sanguinem effundens eadem ratione ambustum repertum est, qua ipse ventriculus.

His, quae proposita sunt, nihil mihi quidem videtur indicari, cur malum, de quo quaeritur, inflammationem cum sequente suppuratione conjunctam esse censeas, quemadmodum multi solent. Illud contra rectius mihi statui videtur, ulcus chronicum ventriculi, quod vocatur, in particulari sui concoctione ventriculi positum esse. In qua sententia illud tantum quaeritur, qua de causa ventriculus in statu regulari non pariter soleat se ipse concoquere et quae conditiones processum illum adducant et adjuvent.

Priori quaestioni superioribus temporibus facile sibi visi sunt satisfacere, quum ventriculi natura insitam vivendi, quae dicitur, facultatem satis praesidii praestare confidenter praedicarent, quo concoctionis succus ne quid efficeret, impediretur. Quae tamen opinio certis argumentis non fuit probata atque Bernad, cujus de concoctionis doctrina tanta sunt merita, primus experimentis hanc opinionem examinare tentavit. Quem ad finem cum canis fistula ventriculi artificiosa ranam viventem ita conjungit, ut femur ejus alterum in canis ventriculum descenderet, reliquae autem partes excluderentur. Femur igitur ventriculo inclusum concoctum est, dum rana vivens permansit. Hoc experimentum anguilla iteratum eundem eventum habuit. His igitur experimentis Bernad illud se ostendisse putat, vivendi facultatem ne quid concoctionis succus valeat, nihil impedire. Atque etsi ulceris chronici ventriculi, quod genus quoddam sui concoctionis ventriculi revera esse puto, progressu motus Bernadi sententiae assentior, experimenta tamen, quibus ille confisus est, non sufficere neque illud evincere existimo. Nam experimenta illa instituta nihil evincere videntur, nisi ut partes animalis viventes concoctae sint; qui progressus forsitan possit in moriendi progressum et progressum concoquendi dividi. Singula membra vivents alicujus animalis de causis localem vim exsequentibus emori posse, nemo negabit, neque habeas quid opponas, si quis ventriculi succo talem vim tribuit. Tum illud quoque afferri potest, quod viscerum vermes velut lumbrici aliquantum temporis et forsitan diu in ventriculo vivere possunt nisi motu suo motus ventriculi antiperistalticos excitarent et ideo vomitu mox removeri solerent. Etiam haec animalia saepissime in superiori intestini duodeni parte inveniuntur, ubi chymo e ventriculo profluenti ideoque concoctionis succo exposita sunt, nisi ad aliam doctrinam potius existimas, succum ventriculi effusum semper chemica conjunctione cum ingestis commixtum dissolvendi facultatem jam perdidisse.

Quod dixi, non ideo protuli, ut Bernadi sententiam falsam esse demonstrarem, quam ipse sequor, verum argumentorum ejusdem auctoritatem parum fatisfacere evincere studui.

Jam vero illud animadvertimus, partes quidem animalium vivorum in ventriculum introductas concoqui, sed e contrario animalia exsistere, quibus natura concoctionis canalis tanquam domicilii loco esse videatur, et ea, quamvis in intestino demorari soleant, in ventriculo quoque diutius vivere posse. Dum experimentum de illius rei posterioris ratione institutum nota infra apposita explicatur, non retineor, quo minus statuam, cutem vermium intestinorum posse pro naturae quibusdam non satis notis conditionibus concoctionis succum perferre, quemadmodum multarum frugum tegumina. *)

*) Ascares lumbricoides duos ejusdem magnitudinis, santonino interfectos, postquam alterius cutem incisionibus pluribus exiguis perfregi, bysso tenuissima sua unumquemque insui et quum artificiosa fistula ventriculi canis instructus esset, ad concoquendum traditi sunt. Atque quum septem horis post rursus extraherentur, vermis scarificati nihil paene relictum fuit praeter cutem, dum alter nullo modo a ventriculi succo affectus apparuit.

Acini solidi devorati totum concoctionis canalem hominis sani percurrere ita solent, ut ne minimum quidem affecti esse inveniantur. In hunc modum ventriculorum puto crasso illo epithelii strato similiter muniri et caveri, ne concoctionis succus eum laedat. Illud autem certum est, interiorem ventriculi superficiem totam epithelio dense inductam esse, quod epithelium in continua repulsione et regeneratione versatur. Si massas vomitu ejectas microscopio perscrutamur, acervi hujus repulsi epithelii non parvi ubique occurrunt, quorum cellae singulae nullo modo concoctionis succo, quocum illud tamen arctissime conjunctum versatur, afflictae apparent. Hoc epithelii stratum non solum levem superficiem ventriculi parietum obductam efficit, verum etiam, in ventriculi glandulas aliquantum descendit et ubi ad finem pervenit, glandularum cavum cellis concoctionis sanis refertum est, quae, quam diu perruptae non sunt, nullam concoquendi facultatem exsequi possunt, quod experimentis physiologicis probatum est.

Itaque si ulcus chronicum ventriculi in particulari sui concoctione positum esse statuitur, si porro epithelium ventriculorum a concoctionis succo defendere additur, nihil requiritur nisi ut in regione aliqua ventriculi mucosae hoc epithelii stratum omnino intereat, quo aditus ad mucosam expeditus concoctionis succo reddatur et substantiae detrimenti causa sufficiens oriatur.

Causae, quibus stratum epithelii laedi possit, multiplices existunt, quare eas enumerare supervacaneum est. Attamen unius causae laesionis mentio mihi est facienda, quum eam imprimis idoneam habeam, quae ulcus ventriculi enascens adjuvet. Quod si hominum typho defunctorum cadavera secantur, in mucosa ventriculi haemorrhagiarum copia plerumque reperitur. Tale sanguinis extravasatum si mucosam perfregisse fingitur, etsi id raro accidere libenter concesserim, nullo modo stratum epithelii perfectius corrumpi potuerit. Similes haemorrhagiae parvulae non raro in ventriculi mucosa feminarum quoque inveniuntur, quae menstruorum anomalia laboraverunt, quo illud fortasse explicatur, quod ulcera ventriculi apud sexum femininum tam frequenter deprehenduntur. Itaque si pars membranae pituitariae parvula semel integumento et praesidio orbata est, facillime parvulus nervorum ramus eo progrediens succo gastrico eroditur et quae pars ab illo nutritur, emoritur et exstinguitur tanto facilius; (confer experimenta viri docti Dr. Schiffii Frankfurtensis, qui medullae oblongatae sectione unius partis facta in ventriculo rotundas substantiae particulas extinctas observavit, quae ab omni parte vulgaris ulceris ventriculi similes fuerunt.

Mirum est, quod membranae mucosae partes eae, quae succo gastrico liberum aditum jam praebeant, non admodum celeriter perforantur; sed veri simile est, epithelium continuo se repulsans cum pituita commixtum loco aegrotanti integumentum quoddam porrigere, quod integumentum dum fortuitis mechanicis incommodis non removetur, erosioni officit. Sane enim dolores remittentes existunt, quod accidere non posset, si acerbis ventriculi succus continuo locum aegrotantem erodendi vi

turbaret. Si interdum dolores vehementissimi et gravissimi exoriuntur, possint a fortuita rami nervorum alicujus denudatione proficisci. Sarcina autem ventriculi, quae vocatur, in ulcere chronico, ut videtur, habet, quo facillime et aptissime et excitetur et augeatur, quum hunc parasitum in omnibus a me quidem observatis casibus ulceris chronici ventriculi deprehenderim, et ventriculi ulcere perforante afflicti conditione examinata et explorata in ulcere mihi idem praecipue enasci visus est. In omnibus casibus concoctionis succo non magis affectus exstitit, quam ventriculi epithelium, quare mihi valde probabile videtur, hunc quoque officere, quo minus perforatio celerius incidat.

SYMPTOMATOLOGIA.

Praestantissimum symptoma ulceris ventriculi dolor ille utique est, qui tum in ventriculi regione solum animadvertitur, tum dorsum similiter corripit, tum a dorso proficiscens in ventriculum promanare videtur, ut re non satis accurate explorata spondylitidem deprehendisse tibi videaris. Dolores spontanei solent brevi tempore, ex quo cibus sumptus est, oriri et quo cibus ad concoquendum difficilior est, eo diutius perseverant, aut, ut aliae conditiones obversentur, tum breve tempus tum diutius permanent. Saepius quoque ventriculi regione perfrictione afflicta excitantur, et tum per plures dies, quin etiam hebdomades continuari solent et saepissime ad summam vehementiam progrediuntur, ut ejusmodi aegroti, si diutius hoc malo laboraverunt, miserum aspectum praebere soleant. Feminam quandam olim vidi dolorum vehementia gravissima eo adductam, ut se ipsa interficeret. In hoc casu carcinoma obversari putabatur, sectione autem facta ulcus chronicum simplex inventum est, quod ad majorem amplitudinem provectum fuit. Cardialgia, quae vocatur, solet ab ulcere ita discerni, ut in illa dolores cibo sumpto sedari dicantur, in ulcere autem augeri aut omnino advocari judicentur. Atque etiamsi saepissime potueris his indiciis confidere, tamen non semper valent. Hae enim affectiones mere nervosae arctissime cum ulcere conjunctae sunt et plures aegrotos observavi, quorum sanguinis eructationes aliaeque symptomata ratione quam maxime certa ventriculi ulcera obversari indicaverunt, qui nihilominus commendatam diaetam temperatam, imprimisque cibi abstinentiam sese perferre omnino non posse professi sunt, in plerisque vero casibus quum cibum consumpsissent, dolorum levamentum quoddam per aliquantum temporis se percepisse. Apud nonnullos aegrotantes cibi qualitas minus, potius nihil valere videtur, in plurimis autem casibus lac et liquida alimenta omnino saluberrima sunt, acida contra et solida alimenta utilitati minime sunt. In nostra regione praecipue panis niger his aegrotis dolores excitare valet. Animi motus pariter vehementissimos dolores saepe adducere solent, ut mulieres complures malum ab animi motibus profectum esse opinentur.

Praeter dolores hos spontaneos in ventriculi regione locus fere invenitur, qui compressus dolorem efficit; si vero ulcus in posteriore ventriculi pariete situm est, saepe deest hoc indicium. In paucis casibus durities quaedam circumscripta per ab-

dominis integumenta animadvertitur, quod non accidere potest nisi si peritoneae affecto inflammatio et concretio ortae sunt.

Si ulcus diutius perseverat, ventriculi regio extensa plerumque apparet, quod inde sequitur, quia huic malo continuum quoddam et nimium aëris (gas) incrementum deesse non solet, nisi quod, si in cardia ulcus situm est, ventriculus contrahi solet. Apud aegrotam, quas tractavi, unam eructatio foetidissimi aëris longe molestissimum symptoma fuit. Dum hanc aegrotam observavi per annum, fere totum, quoditie horis paucis post coenam, quum, quid consumpsisset, nihil fere referre visum sit, haec aëris evacuatio incidit. Antea ventriculi regio molesto et gravissimo dolore cruciata aliquantum intumuerat, donec ventis remotis levamentum quoddam paratum est; deinde per aliquot horas alvi profluvium vehemens certo tempore iteratum sequutum est, quo finito aegrotans ad sequentem meridiem usque bene se habuit. Haec raro per aliquod dies intermissa fuerunt, quod ubi accidit, aegrotans ventriculo se laborare multum quæstæ est. Quæ vero vicissitudo inter hoc profluvium constans et ventriculi ulcus obversata sit, dijudicare non possum, quum alias obstructions difficiliore oriri soleant. Grave autem aëris incrementum in ventriculo ortum symptoma est, quod ventriculi ulceri ceterisque ventriculi morbis chronicis commune est, et eo oriri videtur, quod ventriculus afflictus lente concoquere solet, quare cibus in eo diutius remanet, ut tumor quidam oriatur, priusquam felle admixto hic processus opprimi possit. Aliud indicium, quod ad diagnosin constituendam multum valeat, eructatio judicanda est. Solet enim quum ventriculus nimis oneratus, præcipue alimentis pinguibus refertus sit, etsi nausea paene deest, eructatio cum gravissimis doloribus conjuncta incidere, quæ massææ foetidae acidæ et Læmi chartam admodum rubefacientes ejiciuntur, quæ ubi aliquantum temporis constiterunt, sæpe confestim effervescentes apparent.

Praeter alimenta consumpta, pituitam aliaque, microscopio adhibito sanguinis corpuscula fere reperiuntur et in casibus a me observatis omnibus copia illius Sarcinæ ventriculi larga. Haec duo symptomata proxima ad diagnosin constituendam multum valere puto, etsi Sarcina pariter in aliis ventriculi morbis oriri fertur. Sæpius apud alius generis aegrotos eructata microscopio perscrutatus sum; verum numquam Sarcinam inveni, quare eam non tam frequenter incidere existimo, quam contendit solet. Quod ad sanguinis eructationem pertinet, sæpissime ea tam vehemens existit, ut statim mortem adducat. Sanguis ejectus admodum caliginosus, paene niger, est et naturalem colorem non retinet, nisi si paulo post, quum e vase eroso emanaverit, eructatione ejectus est. Si vero sanguis horam, vel diutius in ventriculo demoratus est, singula corpuscula plerumque ita mutata sunt, ut microscopio examinata vix ejusdem generis esse videantur. Experimentis in bestiis exercitis hæc res aptissime demonstratur. Sanguinis eructatio semper fere cum vehementissimis doloribus conjuncta est et aegrotum adhuc florentem ad pallidam et afflictam speciem per aliquot dies deductum reddere potest; et si sæpius eructatio iteratur, quod supra jam animadvertimus, aegroti vultus remanet.

Aliud symptoma, quod in ventriculi ulcere non deesse solet, ructus acidus est, qui nonnunquam ad eructationem ipsam producit. Liquor tum perspicuus, pituitarius in os ejicitur, qui auctore Frerichsio viro doctissimo mox acidus, mox neutralis, plerumque vero alcalicus est. Plerique auctores antiquiores hunc liquorem ventriculi succum esse putaverunt, nonnulli pituitam habuerunt. Frerichsius saepius analyses hujus massae chemicas instituit et ubique qualitates chemicas cum iisdem pituitae consentire animadvertit. Ipse haec praedicat: salivae secretio in chronicis ventriculi morbis fere semper intenditur, interdum ad salivationem ipsam usque. Haec larga pituitae copia per noctem, dum dormitur, devoratur et mane eructatione rursus expeditur.

Mea de haec re sententia cum Frerichsii sententia nequaquam convenit. Quod ad profusam salivae secretionem pertinet, eam in ventriculi ulcere numquam animadverti, immo aegroti omnes, nullo paene excepto, siccitatem quandam oris praecipueque pharyngos se aegre ferre questi sunt et pituitae secretio revera rara adesse visa est. Plerumque oris liquorem statim post cibum consumptum incertum deprehendi, in paucis casibus etiam acidum. Eructatus liquor ubique valde acidus fuit, et propius ad ventriculi succi naturam, quam ad pituitae qualitatem accedere in universum visus est, etsi cum hac comixtus fuerit, quod vitari vix potuit. Si liquor, de quo quaeritur, ventriculi tum, quum aegrotus neque cibum neque potum consumpserit, e ventriculo ipso profluit, haud scio quid esse possit nisi succus gastricus cum pituita, nuper devorata, aut in ore ipso accedente commixtus. Atque succum gastricum esse ideo existimo, quia liquorem tam liquidum, quam pituita est, etiamsi revera ejus copia tanta per noctem devorata sit, ad mane usque in ventriculo remanere minime probabile esse videtur et ab iis plane discedit et alienum est, quae experimentis de liquoribus in ventriculo evanescentibus probata sunt. In doctrina de concoctione prolata ipse Frerichsius temporis spatium admodum breve liquores in ventriculo perdurare judicat. Ceterum analysis chemicae ab eo institutae auctoritatem non repudiandam habeo et, si in casibus ab eo exploratis liquor inventus est, qui ad pituitae naturam accederet, sine dubio pituitam fuisse concedo. Error enim, quod meum est judicium, eo ortus est, quod liquor iste non a ventriculo, verum ab ore ipso profectus erat, quod judicium postea probare tentabo.

Quod si liquorem, de quo agitur, succum gastricum esse arbitror, illud mirum videri potest, quod copia ejusdem tanta, prout res est, simul eructari dicitur, quamvis pro rerum conditione vulgari, nisi concoctione, paullum aut nihil succi gastrici secernatur.

Attamen experientia demonstratur, exiguam mucosae irritationem sufficere, ut secretio tempore quam potest brevissimo ad gradum summum producat. Ulcus chronicum ventriculi satis frequenter harum irritationum occasionem offert, quae non solum ut major concoctionis succi copia effundatur, verum etiam, si graviores existunt, ut in ventriculo et oesophago motus antiperistaltici exoriantur, efficiunt. Hac

igitur ratione liquor in os ejicitur. Quum mulierem ventriculi ulcere laborantem tractarem, quotidie per plures hebdomades inprimisque mane saepius cum vehementissimo aegrotae dolore parvae quantitates massae sanguineae, mucosae, valde acidae in os ita protrudebantur, ut ne minimi quidem eructantis motus neque a muliere ipsa neque ab alio quoquam animadverterentur. Illud mulier certe se animadvertere professsa est, massas gradatim a ventriculo sursum ferri. Interdum hi leniores motus antiperistaltici ventriculi et oesophagi conjuncto diaphragmatis motu ad veram eructationem usque augentur. Talem aquae eructationem mulieris natu majoris per annum totum observavi certo ordine mane orientem. Dolores graviores semper eo valde mitigati sunt, ut aegrotans variis artificiis processum accelerare eniteretur. Massae, quae per diem inprimis post coenam paullo eructabantur, item admodum acidae ubique fuerunt. Atque in universum in omnibus ventriculi morbis chronicis acritudo gravior enasci visa est. Frerichsius hanc rem ea explicari censet, quod quum nutrimenta diutius in ventriculo demorentur, saccharum in acidum lactis, hoc deinde in butyri acidum verti putat. Haec opinio etsi mera hypothesis est, multis tamen rebus probatur et confirmatur.

Restat ut de liquore illo a Frerichsio explorato et pro pituita habito disputemus. Jam vero non solum concoctionis doctrina, verum etiam certis de nervorum reflexu institutis experimentis salivae glandulas arctissimo vinculo cum ventriculi nervis conjunctas esse probatum est. Et mucosae irritatione non modo pituitae, sed etiam succi gastrici secretionem augeri animadversum est. Quam igitur vehemens irritatio illa necessario sit, quae excitatur quum nervorum ramus denudatus concoctionis succo afficiatur, facile cogitari potest. Eventum autem hujus irritationis, quum mulierem aegrotantem diligenter observarem, iterum atque iterum subita quadem et profusa pituitae eruptione indicatum vidi. Hic liquor, praesertim quum nausea obversante et vomitu ejiciatur, aequo frequentius pro eructatis habitus est et ab ipso Frerichsio, ut videtur. Ut pituitae eruptionem tam subitam declaremus et explicemus, non possumus quin musculorum contractionis rationem habeamus. Nam musculos revera nonnihil efficere posse intelligitur quum, si malum acidum consumitur et malae ad fossae similitudinem contrahuntur, deinde ore aperto saepissime pituitae radius quidem expeditari soleat.

Pituita igitur e ventriculo per reflexum ejecta aut devoratur et ita, ut dolorum saepe levamentum exsistat, aut vomitu eructatur. Qui processus etsi apud aegrotium nonnullos saepius incidit, tamen salivationem obversari non dixerim, quum per reliquum temporis spatium pituitae penuria adesse soleat.

Quod ad ulceris ventriculi situm pertinet, diagnosis accuratior raro expeti potest et ad tractandi rationem nihil valet. Interdum autem indicia animadvertuntur, quae partis alicujus ventriculi coartationem prodere videantur. Hae coartationes cicatricosis contractionibus adducuntur et frequentissime in pyloro, minus frequenter in

medio ventriculo oriuntur, ut horologii formam efficiant, rarissime denique in cardia oriuntur. Coartatio pylori nonnunquam immensas ventriculi dilatationes advocat, quemadmodum ventriculum ita ad CC unciarum amplitudinem distensum vidi.

Denique si obstructionem acriorem addo, praestantissima ulceris chronici ventriculi symptomata enumerasse mihi videor, quum quae perforatione ceterisque rationibus excitata observantur, potius in disputationem de quolibet alio morbo propositam cadere dicenda sint.

T H E S E S.

- 1) Fremitus, qui in venis jugularibus observatur, certum chlorosis symptoma non est.
- 2) Mercurialia sunt remedia, quibus in tractandis morbis syphylitis carere non possis.
- 3) Diabetes mellitus pulmonum morbus est.
- 4) In inflammationibus e perfrictione natis quoque aquae frigidae fomenta indicata sunt.